2.89

68.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis Quartâ Januarii Anno M. DCC. XLII.

M. CLAUDIO-CAROLO DE JEAN Doctore Medico, Præside,

An à vomitoriis, febrium intermittentium auspicanda curatio?

I.



ERRAT homo, si vitam ab omni morborum sævitiâ securam sibi fingat. Miserâ conditione natus, vix ex uteri latebris excluditur; in eum statim dira irrumpit morborum cohors. Nonnè etiam in ipso vitæ suæ principio, latent illorum seminaria? Nulla est ætas, nulla pars corporis, nullus sexus, qui proprios non patiatur morbos. Nulla regio, nulla tempestas, quæ sibi peculiares non procreet. Alius est insuper, cæteris & crudelior, & frequentior: hic nulli parcit ætati, nulli sexui, nulli temperamento; in omni regione, omni tempestate, plerumquè epidimicè grassat. Infans & senex, fæmina & vir, robustior & delicatior; omnes tandem illius furorem sentiunt. Dum cæteri morbi partem aliquam corporis aff-

A

ciunt, hic omne totum Corpus occupat & cruciat : ita ut rectè dicatur universalis. Hàc adumbratione febris facilè agnoſcitur. Hominis hoſtis infenſiſſimus quot mille modis illum torquet ! Novus autem Proteus non ſub eâdem formâ ſeſe offert, varia enim eſt pro agendi modo, tempore ; unde plurimæ illius ſpecies: dividitur tamen in duas generales : vel enim in nos abſque ullâ relaxatione ſævit & tunc continua dicitur : vel nos violenti impetu fatigat, laceſſit, ceſſat, ſed brevi reditura ; intermittens appellatur. Hujus ultimæ febris ſpeciei curationem perfectam brevique peractam ſi volueris, ſpem non fallet eventus ſi primo remedia ad cauſam expellendam idonea, adhibeas.

II.

CAUSAM etenim in quocumque morbo curando medicus ſpectet ; hàc cognitâ curationem inventam eſſe aſſerit *Hofmannus* dum dicit, *Maximè omnium morborum cauſæ proximæ indagandæ erunt, quibus inventis curationem inventam eſſe, conſtans, & philoſophorum, & medicorum perpetua que fuit ſententia* de patholog. ſ. 8. *p.* 7. idem ſentiit Hippocrates ; *ſiquis*, inquit, ille Medicinæ princeps, *cauſas corporis affecti cognoverit, is quoque potens eſt ea adferre quæ corpori commodent. Libr. de flatib.* §. 3. Sed medico non ſufficiat morbi cauſæ cognitio, hanc cognitam armis propriis vincat & è corpore extrahat. Quam felices illi tunc ſucceſſus erunt ! hoſte enim fugato ; ſi quid damni ab illo patratum fuerit, brevi facilè que reparabit. Si autem non medicè ſed empiricè agens cauſam intactam relinquat, tunc omnia illi adverſa erunt ; *cum morbus* teſte Sennerto, *tolli non poſſit ; cauſâ quæ ipſum producit in corpore, præſente.* Evidens enim eſt cauſæ morbi vim nocivam eo magis progredi ; quo longior fit illius in corpore permanſio : ita ut morbus curatu facilis ſi initio, cauſa ſublata fuiſſet, poſt aliquod tempus eo quod hæc fuerit intacta, ſanatu difficillimus evadit ; & rectè affirmari poſſet morbos plurimos ex eo ſolo judicari inſanabiles, vel quod illorum cauſa vera & legitima ritè non cognoſcatur ; vel quod remedia ad illam ſi ſit cognita expellendam adhibita, infirmiora ſint. Sit igitur præceptum conſtans & immutabile in omni morborum curatione, illorum cauſam ante omnia detegendam, ſtatim que eſſe expugnandam : hoc autem potiſſimum valeat in febribus intermittentibus curandis ; harum ergo cauſam cognoſcamus, dein remediis expugnemus propriis.

III.

FEBRES intermittentes gignit, producit materia quædam cruda & indigeſta ; hujus originem à primis viis repetendam eſſe ſatis demonſtrant nauſea, vomitus, appetitus dejectus, oris amaritudo, inteſtinorum dolor acer & mordicans & alia ſymptomata totidem argumenta congeſtionis materiæ viſcidæ & craſſæ fibras ventriculi inteſtinorumque irritantis. Hæc autem materia quam primam intermittis cauſam habent omnes medici tum veteres tum neoretici ; è ventriculo & inteſtinis, ut è ſuo fonte, emanat, fluit, novas decurrendo exercens hoſtilitates : tandem nimiâ craſſitie donata in extremitatibus vaſorum exiliorum hærere cogitur. Hic manet tranquilla donec aceſcat, aceſcit tandem ; hac vi naturæ inimicâ irritantur vaſorum fibræ, fit illorum, ad hoſtem expellendum contractio, hâc contractione liquida verſus interiora pelluntur, tunc frigor illius que apparent Simptomata. Cum enim partes extremæ totaque corporis ſuperficies ope vaſorum extremitatum

contractionis, sanguine & spiritibus quibus abundare solent, defraudantur; necessè sequitur totius corporis pallor, frigor, horror, pulsus parvus, cutis aspera Anserinæ æmula, scroti corrugatio, digitorum coarctario, &c. at brevi oritur pugna sanguinem inter & materiam illi inimicam. Fiunt violentiores cordis contractiones, expanduntur partes sulphureæ, dividitur materia crassa. Hoc violenti motu pelluntur liquida in extremitatibus vasorum è quibus contractione egredi coacta fuissent adest totius Corporis calor, jactatio, inquietudo, rubor faciei, pulsus magnus, &c. Tandem vincitur hostis fugam que per cutis poros præcipitat. Cessant tunc simptomata, æger jam multum defatigatus quiete & tranquillitate frui videtur, sed ne nimiæ securitati se tradat: brevi enim novus rediet paroxismus; si singulis diebus, tunc febris dicitur quotidiana intermittens, si alternis diebus tertiana, si interpositis duobus; quartana nuncupatur. Cognitâ & explicatâ febrium intermittentium causâ quis non videat quanta ad hanc è corpore evellendam possint vomitoria.

IV.

OMNE vomitorium agit sale volatili, acri admodum, quo plurimùm fibras ventriculi irritat, tonum ipsius conturbat, & cogit ut contractæ simul fibræ a fundo ad superius orificium, per viam vicinam & brevem quid molestat exonerent: at non solum in materiam ventriculi plicis rugisque contentam, agunt vomitoria; vi illorum acri & pungente oritur generalis nervorum convulsio, omnes corporis partes violenti motu, sed semper salutari, agitantur: tunc omnia vasa succussa & pressa eumdem communicant motum liquoribus in ipsorum cavitatibus, contentis; materia crassa & cruda hærens in extremis vasis, premitur conquassatur, dividitur, ex his in majora vasa pellitur, redit in circulationis vias, tunc agitationem violentam, & omnibus una cum sanguine junctis humoribus generalem, sentit, experitur, patitur, fit hoc fluidior, & tandem ad perfectam divisionem suarum que partium explicationem devenit. Ita ut rectè dici possit opè vomitus totum expurgari corpus, hoc sentiebat, Smetius, *nullus*, inquit ille, miscellan. Medic. *p.* 137. *in arte nostrâ cum judicio versatus & exercitatus ignorare potest, quin totum sæpè numero corpus per vomitum purgetur; equidem antiqui non infrequentius ferè vomitoriis medicamentis quam per inferna purgantibus uti sunt; etiam si morbus in extremâ aliquâ corporis parte constitisset.* Ex his satis patet ope vomitoriorum initio febris intermittentis adhibitorum, vel morbum penitus curari, vel saltem ad curationem præparari, ita hoc crediderunt & experti fuerunt authores Medici, ut nullus ferè sit, qui vomitoria, ut remedium ad febrem intermittentem extirpandam utilissimum, non consulat. *In periodicis initio paroxismorum præsertim si facilè vomitu rejici posse conjecturâ assequare utile est valdè vomitorio exeretionem tentare per os, & ita veterum decreta sancivere.* Ballon. Epidem. & Ephemer. *Lib.* 2. *p.* 115. Si Hoffmannum audire vos juvat, sic loquitur. *Emetica statim in principio, quò citius eò melius offerendâ, nec gratis expectandum donec materia fuit concocta sed proximâ viâ exturbanda, priusquam noxam latius diffundat*, de febr. 3^anâ. *s.* 9. p. 29.

V.

NE igitur timeat Medicus vomitaria initio febrium intermittentium offerre. Quot & quanta præstant satis probant Medicorum de febribus curandis observationes. *Uxor theotimi apud Hyppocratem vomebat ex succo granatorum mulso:*

& a febre curata fuit. Joann. Heurnius method. ad praxim *Lib. 2. p. 217.* Refert Hofmannus, se pueris octavum vel decimum ætatis annum agentibus, febre tertianâ correptis, exoptato cum successu potiunculam dedisse emeticam. De febr. tertian. *ſ.* 20. p. 33. Idem probat thom. Villisius. De febrib. cap. 3. Statuens, a vomitoriis paulo antè paroxismum adhibitis, sæpè tertianas intermittentes tolli. Necessariò etiam adhibenda esse antè cætera remedia febrium specifica, sentiebat jam jam laudatus Hofmannus, dum de cortice peruviano illius que utilitate in quartanâ febre disserens sic loquitur. *Tenendum tamen, non primò ad ipsius usum esse descendendum, quam perpurgatis probè primis viis.* De febr. Quartan. *ſ.* 10. p. 69. Ne tamen, credat quis, nos empiricorum modo, vomitoria, ut remedium universale & in quocumque morbo salutare hic præscribere : nos enim non latet, non solum vomitoria, verum etiam cuncta remedia, varios effectus, modo bonos, modo pessimos producere prodiversis subjectis inquibus adhibentur : ita ut nulla sit fides adhibenda medicamentis, nisi a medico prudente & ratiocinante exhibeantur ; hæc igitur non obstent quin concludemus.

Ergo a vomitoriis, febrium intermittentium auspicanda curatio

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Benjamin-Ludovicus Lucas de Laurembert.	*M. Joannes-Baptista du Bois, Professor Regius.*	*M. Raymondus Jacob Finot.*
M. Leander Peaget.	*M. Guillelmus-Josephus de l'Epine.*	*M. Ludovicus Lemery, Medicus, Regis ordinarius Regiæque Scientiarum, Academiæ socius, & in horto Regio Chimiæ Professor.*
M. Ludovicus-Alexander Vieillard.	*M. Ludovicus-Hyeronimus Cosnier, rei Herbariæ Professor designatus.*	*M. Petrus le Tonnelier.*

Proponebat Parisiis, SILVESTER-ANTONIUS LE MOINE, Mimatensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1742, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.